neficia sint, quorum titulo sacerdotes creentur, et qui ordines appetunt, plerique angustia patrimonij excludantur, incredibile sit quanta Ameriae cleri inopia laboretur, ut uix, ac ne uix quidem epus solemnibus sacris operari necessario cum ministrorum apparatu, possit, ac sepe minui dignitatis eius maiestas, ministrorum paucitate uideatur.

Parochiales ecclia in ciuitate sunt quindecim, sed propter earum summam egestatem, pleraque aut fractae, ac ruinosae, aut plane collapsae, et diruta, et quibusdam, quia nulla prorsus bona, nullos fructus habent, Parochi quoque nulli sunt. Sacramenta ob id non alibi quam in ipsa Cathedrali asseruantur, atque inde ab omnibus petuntur, quod decentius, nec ullo populi incommodo, fieri uidetur. Propria autem cura animarum, in ipsa cathedrali, Prioratui adiuncta est. Preter canonicos perpauci sunt in urbe sacerdotes.

Regu-

Regularium duae intra maenia sunt ecclie, altera Augustinianorum, altera franciscanorum, eorum qui conuentuales dicuntur. In utraque par prope numerus decem duodecimue fratruum alitur. Horum ecclia quia in ijs urbis regionibus sunt, ubi frequentiora aedificia, frequentiorque populus habitat, etiam praeter caeteras frequentantur, celebranturque. Extra maenia ad iactum sagittae est parua alia fratrum S.ti francisci, qui obseruantes nuncupantur, ecclesia. est et capuccinorum aedis duo ab urbe miliaria, in maxime abdita ac remota parte saltus, ubi Nouitij ac nuper in disciplinam traditi, ordinis eius institutis imbuuntur: et alia item aeque longe distans, quam Monaci S.ti Bernardi incolunt, eius generis, qui Romae apud sanctam Pudentianam habitant. Est quoque in urbe aedes sacerdotum, qui prima christianae doctrinae rudumenta pueris tradunt. Hi etiam ludum exercent, accepto eius rei causa stipendio

quod